



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

Tit. 22. De collusione detegenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

his sanxerunt, ut ii qui sub vulgari Ægyptiorum nomine vagantur, ex his ditionibus semper exterminarentur. Et postmodum Carolus V Imp. an. 1537. 5. Febr. Philippus ejus filius, Hispaniarum Rex, an. 1560. 2. Septemb. & in Adit. ad Latum Introitum Brab. voverunt sub pœna confiscationis corporis & bonorum, ne hujusmodi homines eorum ve affectæ, qui ves tales dicerent, aut eorum habitu uterentur, in suis ditionibus subsisterent aut versarentur. Idemque Rex edicto an. 1592. 20. Julii, quod exhorta Synodo ultima Antverp. admodum severe præcipit Judicibus omnibus, cum Ecclesiasticis tum secularibus, ut omni modo aditantes extirpare magias & superstitiones omnes, consuetumque coloris & tituli, Physionomiam, Necromantiam, Chiromantiam, &c. cum clausula, ut quisque hac in re fungatur officio suo, sub pœnis in dicto Edicto relatis. Tandemque Sereuil. Principes in Edicto ad Synodum provincialem Mechlin. an. 1607. art. 13. mandarunt hujusmodi augures extra provincias suas relegari, & graves multas indici eos consulentibus. Et art. 14. dictam Regis Ordinationem executioni mandari volunt. Quamquam ex Concordatis Brab. §. De criminibus, sortilegiis &c. (ut & ex Galliæ Senatuseonsultis hodie, etsi olim secus, ut constat ex Choppin. De sac. polit. lib. 2. tit. 2. n. 11.) ad solos seculares horum criminum cognitio & correctio remissa esset. Nihilominus tamen eadem ad iudicem spectat Ecclesiasticum, casu quo fiant sortilegia per invocationem dæmonum aut abnegationem fidei, tanquam tunc sapientia hæresin: hæreticum enim esset à dæmonibus expectare responsa, declaravit Sixtus V. Alexander VI. & Hadrianus VI. Eiusque rei cognitionem Inquisitoribus mandavit Leo X. Maxime verò puniri debent, secundum Innoc. VIII. qui morbos, grandines, auras lævias, sterilitatem in hominibus & pecoribus procurant, maribus & fœminis actus conjugales impediunt, seu ligulam stringunt, ut vulgò loquuntur, Constitutiones eorum refert P. Matth. in vii. Decretal. lib. 5. tit. 12.

Qui plura de sortilegiis & eò spectantibus desiderat, videat Farinac. Tract. De hæresi quæst. 181. & latissime Tholosan. Syntag. juris univ. lib. 34. cap. 1. & pluribus seqq. Alex. Instit. Mo-

ral. p. 1. lib. 9. c. 16. & 17. Deltio Disquisit. Magic. lib. 3. p. 2. q. 4. sect. 8.

## TITULUS XXII.

## De collusionione detegenda.

1. Collusio quid sit, & in quibus causis locum habeat.

2. Pœna collusionionum.

1. **C**Rimini falsi affine quoque est crimen collusionionis, quia illi etiam quædam inest falsitas: nam Colludere in Jure dicitur, qui aliud agunt, aliud simulant, quod ipsum falsi speciem habet.

Est igitur Collusio inter actorem & reum latens ac fraudulosa conventio, qua interveniente delicta aliquando manent impunita, *Glos in c. 3. h. t. v. G.* si duobus litigantibus, reus videns se superatum iri ab actore, promittat ei centum, ut veras probationes simulet, & falsas defensiones admittat, ut pœnam sibi infligendam evitet, dicetur cum adversario suo colludere. Et ista conventio dicitur Collusio, quæ committi potest in causis tam civilibus, quam criminalibus, tam in temporalibus quam spiritualibus & Ecclesiasticis, tam per partes principales, id est actorem & reum, quam per procuratores & advocatos. Eique dicitur involvi quædam falsitas; & proinde pœnam aliquam meretur, quandoquidem nemini dolus suus patrocinari debeat.

2. Hinc colludens in causa beneficii, puta per collusionem beneficium censuale constituendo, seu pensioni subiciendo, beneficio suo privandus est, *c. Audivimus 1. h. t.* & desistente accusatore potest Judex adhuc ex officio suo inquirere super crimine illato, absolutioque à crimine per collusionem facta non impedit facultatem iterum accusandi & inquirendi de eodem, *c. ult. h. t.*

Cæterum quia sæpè per ejusmodi inquisitionem ex officio, desistente accusatore, Judex detegit collusionem actoris cum reo, ideo hic

Tit. inscribitur De collusionione detegenda,

Q99 2

TITU: